



Andreas Gerardus Hyperius natus est Hype-
ris, inlyto oppido Flandriæ, decimo sexto
Maï anno 1511. Patrem habuit eiusdem nominis
clarissimum apud Hyperas Iurisconsultum. Ma-
trem uero Catherinam Coëtz ex nobili Patritio-
rum Gandauensium familia. Parentes puerum sta-
tim anno ætatis undecimo, post percepta iam me-
diocriter elementa Grammatices, Iacobo Papæ,
Poëtæ id temporis celebri, in disciplinam tra-
diderunt, qui Vastiniis ad flumen Lysam bonas literas
docebat. In ea schola etiam puer Ioannem Sepanū
audiuit, uirum linguarum cognitione insignem.
Deinde anno ætatis suæ 13 Insulas Flandrorum cō-
migravit, ut cum bonis literis etiam Gallicam linguā addisceret. Vbi in scho-
lis Ioannem Lacteum audiuit, de cuius ore dulcissima oratio profluebat. Pro-
posuerat quidem pater filium suum Lutetiam alegare, ut ibidem instituere-
tur. uerū ob ingruentia bella Cæsaris cum Gallo, id non tutum erat. Itaque
eum aliquandiu secum retinuit domi, atq; scribendo exercuit. Interim pater
anno millesimo quingentesimo uigesimo quinto moritur, atque uxori man-
dat, ut ubi primum bella sospita essent, filium Lutetiam ad persequenda studia
mitteret. Viderat enim pater egregiam in dolem, cum naturali facundia con-
iunctam, in adolescente.